



Lingutnaym.

etf. 60.5.

S: 1.  
2.  
3.

PROGRAMMA SACRVM  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
EX - PRORECTOR  
**FRIDERICVS HOF  
MANNVS,**  
COMES PALATINVS CAESAREVS, CONSILIARIVS REG  
ET PROFESSOR ORDINIS MEDICORVM  
SENIOR,  
VNA CVM  
CANCELLARIO ET PROFESSORIE  
RELIQVIS,  
CIVES ACADEMICOS  
AD  
**FESTVM NATALITIVM**  
Anni M DCC XXIX.  
PIO GAVDIO CELEBRANDVM  
PERAMANTER COHORTATVR,  
AC SANCTAE IPSORVM MEDITATIONI  
**IMMANVELIS PRÆSTA  
TIAM**  
*ex CANT. V, 10 - 16.*  
CONSIDERANDAM COMMENDAT. M. Jo. Jacob. R.  
HALAE MAGDEBURGICAE,  
STANNO LEHMANNIANAE VIDVAE.

PROGRAMMA SACRA  
ACADEMIAE HEDERIANAE  
BRIDIERIÆ HONORUM  
MANUS  
CATHARÆ TORROSSORI  
CLASSE ACADEMICOS  
ESTIMATIVÆ  
HEDERIANA  
ATRIE BRIDIERIÆ  
MAGISTER  
TASCIAM COMITI  
ALDAV



Luxit denuo, CIVES CARISSIMI, natalis  
IMMANVELIS nostri dies, pia hilaritate a  
nobis celebrandus. Innumera equidem sunt,  
quæ animum nostrum ad sancta concitare  
gaudia queunt. Verum inter reliqua omnia,  
quæ nos circumstant, lætitiae incitamenta,  
eminet Infantis, qui nobis natus, Filii,  
qui nobis donatus est, incomparabilis  
prorsus prestantis, omni quidem laude  
superior, sed omni tamen digna meditatione. Vultis eam velut  
in tabula depictam intueri; en eius imaginem, diuini artificis ex-  
pressam manu, & exquisita arte perpolitam.

*Amicus meus*, ait IESV CHRISTI Sponsa, de ejus pulchritu-  
dine interrogata, *candidus & rubicundus est, insignior aliorum ami-  
corum myriade. Caput habet, solido auro simile: crispam cæsiuem,  
coruio nigriorem: oculos, quales sunt columbarum, ad aquæ riulos  
sedentium, tam candidos, ac si in lacte natarent, tamquam concinos, vii  
sunt gemmæ, annuli paleæ infixaæ. Malas habet, areolis odoriferis plan-  
tisque vnguentariis similes: labra rosacea, excellenti stillantia myr-  
ra. Manus ejus referunt annulorum aurorum formam, qui chryso-  
litib[is] referti sunt. Venter æquat nitorem eboris, dissimilatum sapphiris.  
Crura sunt velut columnæ marmoreæ, aureis basibus innixaæ: adspicetus,  
Libani similis, cedris prestantior: guttur dulcissimum: nihil denique  
in eo, quod non sit votis ac desideriis omnibus expetendum. Talis est  
amicus, talis amator meus. Cant. V, 10-16.*

Excellentes Immanuelis dotes his verbis describi, facile patet.  
Dudum enim demonstratum, atque irrefragabilibus confectum  
rationibus est, humani generis Seruatorem esse, cuius laudes, ca-  
stissimique erga ecclesiam amores, sacro isthoc carmine decantan-  
tur.

tur. At enim tot elegantium metaphorarum inuolucris tecta omnia & obsepta sunt, vt nisi sensus in sacris literis & sublimiori earum stilo exercitatos attuleris, ænigmata tibi legere & meras tenebras videaris. Age igitur, remoueamus sacrorum emblematum vela, vt amabilem optimi Seruatoris formam propius contueamur.

*Candidus* primum ac *rubicundus* dicitur; qui colores si in vultu virili grata mixtura temperati compareant, illibatum sani corporis vigorem prodere, eximiamque efficere pulchritudinem solent. Aptæ enim figura membrorum, cum coloris quadam suauitate, *CICERONE* teste, pulchritudo dicitur. Non hic vero in natu*rio* Iesu Christi colore, non in externa formæ dignitate subsistendum est; quamuis nec hanc ipsi defuisse credamus. Ad *spiritualem venustatem*, quæ fidei tantum oculis patet, animus extollendus est, quam diuinæ eius perficiunt *virtutes*, quibus in sui admirationem & cultum non tam inuitat, quam rapit omnes, qui mentis aciem in ipsum intendunt: quam Dauides etiam celebrat Ps. XLV, 3. *vbi ad Messiam conuersus, Pulcherrimus es, inquit, inter filios hominum.* Inter reliquias vero, quibus ille excellit, virtutes niueus hic candor, rubore tinctus, *temperatissimam* Iesu Christi mansuetudinem designat; a qua longissime abest hinc liuoris torporisque pallor, illinc excandescentiæ rubor nimius, rigidæ seueritatis index. Hæc, hæc illa formositas est, qua parem inter homines habet neminem, quoque vel *inter myriadas* ille velut *in signior eluet, ἐν τῷτι περίειν,* Col. I, 18.

Sed ad specialiora deueniendum est. CAPUT, auro *præstantissimo simile*, quid conuenientius adumbrare potest, quam *diuinam* *Θεοῦ ἀπόστολος* naturam, 1 Cor. XI, 3. quæ capit is instar in eo eminet, naturamque regit inferiorem, quæ denique, instar optimi *aurei*, ab omni labore pura, exquisitis perfectionibus fulget, infinitumque pretium eius meritis addit. Hinc sponte fluit suprema eius *dignitas*, ac vere *regia maiestas*, perinde ac aurum, corruptionis expers, ac nullis vñquam machinis destruenda. Ps. CXLV, 13. Luc. I, 33. Potiori igitur iure, quam clim ad Nebucadnetarem Daniel, ad eum dixeris: *Tu, o Rex, regum rex es, cui DEVS regnum, imperium, potestatem honoremque largius est tantum, ut ubique* que degit hominum, ferarum, pecorum & aeriarum volucrum genus, *omnia sub tuum imperium ditionemque subiunxerit.* IV CAPUT

ES AVREVM. Dan. II, 37. 38. Conf. Psal. VIII, 7. 8. 9. Matth. XXVIII, 18.

*Crispa & in circulos revoluta CAESARIES*, quæ ab aureo illo capite pender illudque ornat, sancta eius repræsentat ac diuina consilia, regiasque cogitationes, quarum tanta est densitas, tanta multitudo, ut ratio humana in illis peruestigandis, velut *in circulo*, frustra oberret. Huic quando *coracinus color* tribuitur, in quo cum intensissima nigredine fulgidus aliquis laevo eleganter certat; apte significatur integrum illud & maturum *robur*, quod diuinis Immanuelis nostri *consilii* inest, quem propter ea *confiliarium fortem* Esaias nuncupat, cap. IX, 6. Neque enim ad formæ solum decus pertinet coracinus capillorum color, summo studio a veteribus olim adfectatus; sed perfectum etiam illibatumque *vigorem*, qualis est virorum iuuenum, prodit.

CCVLI Seruatoris, cum columbarum oculis, quibus nihil venustius, nihil elegantius est, comparati, sagacissimæ eius imago sunt prouidentiæ ac prudentiæ, cum beneuolo in Suos affectu coniunctæ; quorum intimos animi recessus ita perspicit Apoc. II, 23. ut columbae perspicaci oculorum acie usque ad limpidi lacus fundum nullo negotio penetrare solent. Nitidi insuper illi sunt, & in albo, quod pupillas ambit, velut *in luce narent*, puriores nimis, quam ut scelus videant, & adspicere facinus possint, Hab. I, 13. neque sanguine aut felle suffusi, sicut atroces ac torui iracundorum oculi, sed mites ac placidi, qui candida sua amabilitate vel timidissimos quosque ad adspectum inuitant. Gemmulas denique referunt, *in annuli caviatae* firmiter *sedentes*; constanti obtutu in Patris voluntatem, inque sponsam dilectam, suauiter leniterque defixi, ac nullis omnino irritamentis ab hoc statu suo dimouendi.

GENAE ipsius *areolis odoriferis*, in horto nitide ac delicate aptatis, *plantisque vnguentariis*, equiparantur. Scilicet ut genæ, tenero efflorescentium pilorum germine vestitæ, vultum virilem ornant, & si fragrantibus succis, (ut Aaronis barba Pf. CXXXIII, 2.) pili imbuti sint, suauem spirant odorem: ita hoc sermonis colore confirmatum Iesu Christi *robur*, decenti cum *grauitate* coniunctum, illustratur; minime reformidandum sanctis animis, sed *gratum de se* spargens *odorem*, omnibus aromatibus iucundiorem, qui ad religiosos eius amplexus obuios quosque vocat..

LABRA rosacea, & *fragrantissimam* stillantia myrrham, quid aliud  
A 3

aliud significant, quam doctrinas Iesu Christi, amaras quidem de-  
prauatae ac sauciæ hominis naturæ, sed salutares tamen & aroma-  
tica virtute conditas, quæ mentem seruant a corruptione, ac vul-  
nera conscientiæ sanant, blandeque tristia pectora demulcent Ps.  
XLV, 3. Es. LXI, 1. 2. Luc. IV, 22. Ceterum quum nobilissima  
*myrrha* sacrounctionis oleo, illustri Spiritus sancti typo Ps. XLV,  
8. 9. 1 Ioan. II, 20. 27. largiter olim admixta fuerit; Exod. XXX, 23.  
qui labia Iesu Christi myrrham stillare audit, facile intelligit, *Spiri-*  
*tum sanctum* per eius doctrinas mortalium animis insinuari, qui  
eos vngat, doceat, confortet, ac bono imbuat sanctitatis odore.

MANVS eius, brachiis iunctæ, quæ referre dicuntur *aureorum*  
*orbium* vel *annulorum* figuram, qui *gemmae* cauernis suis inclusas  
amplectuntur, diuinam eius & efficacissimam *operandi virtutem*  
pie nobis meditandam proponunt. Hæc enim instar *orbium* un-  
dequaque perfecta est, hæc *auri* instar perpurgati omnem sordi-  
um admixtarum labem excludit, hæc *pretiosorum* instar *lapidum*  
gloriam suam stupendis speciminibus longe lateque spargit, vim-  
que illatam omnem eludit: quod Moses Deut. XXXII, 4. ita elo-  
quitur: *Integra sunt eius opera, & omnes reparationes.* Et Daudes  
Psal. CXI, 7. *Eius manuum opera vera atque æqua sunt.*

VENTER, ceu viscerum receptaculum, cui *eboris* nitor, *sap-*  
*phirorum* splendore illustratus, a diuino vate tribuitur, integrum  
Iesu Christi *humanitatem*, cum *sanctissimis* eius *adfectibus*, notat;  
quorum nitor eburneus, sapphirino fulgore cinctus, *æquabilem*  
*propensionum* ipsius *puritatem*, nullis contaminatam vitiis, nobis  
ante oculis ponit. Erant certe in Immanuele adfectus gaudii, tri-  
stiae, iræ, misericordiæ, alii; sed casti omnes, sed puri,  
sed sancti, & non solum nullis conspersi sordibus, sed cælestibus  
etiam ac diuinis radiis illustres. *Sappiri* enim, PLINIO teste,  
cæruleum colorem spargunt, ac aureis etiam punctis collucent,  
& cæli referunt splendorem.

CRVRA eius, quæ corporis molem sustinent, & de loco in lo-  
cum mouent, *virium* ac *stabilitatis* figura sunt. Hinc cum *marmoreis*  
*columnis*, in quibus splendor ac durities pari velut passu incedunt,  
comparantur, quæ *aureis basibus* suffulciuntur. Celsus ille colos-  
sus, qui mundi regna simulabat, pedes habebat ex ferro ac luto  
conflatos, ac proinde impares prorsus, oneri suo ferendo, Dan. II,  
33.40.43. Sed firmioribus talis Christi regnum consistit. Omnia  
hic

hic solida sunt atque invicta; omnia a summo inde vertice ad imas  
vsque pedum radices infinita ac durabili gloria fulgent; unde au-  
reо capiti aureaе pedum plantae respondent. Tu meos, ille ad Pa-  
trem ait, ita gressus firmas, ut nihil labantibus vestigiis huses meos per-  
sequar, eosque ita consumam, ut sub meis prostrati pedibus nunquam  
resurgent. Ps. XVIII, 38. 39. 40. Conf Apoc. I, 15.

Quin totus eius, quaqua patet, *adspicitus*, totus venerandi  
corporis habitus, Libani similis esse dicitur, montis praelati, & visu ol-  
factuque amoeni, qui cedrorum copia superbit: quæ quantum reli-  
quias arbores proceritate ac præstantia vincunt; tantum reliquos  
mortales Virginis filius maiestatis ornatu antecellit. GVTVR  
in primis eius, & quæcumque gutture proferuntur, quibus se non  
gustandum minus suis, quam audiendum præber, mera sunt dul-  
cedines. Nihil suauius doctrinis, nihil dulcius solatiis, nihil ex-  
optatius promissis eius: nihil denique ipso toto desiderabilius;  
quicquid in contrarium sentiant coeci ac stolidi eius contemtiores.  
Merito igitur sponsa exclamat: *Talis est amicus, talis amator meus!*

Tam pulchram vero, O CIVES, Iesu Christi picturam, vi-  
uis spirantibusque coloribus expressam, ideo diuinus Spiritus no-  
bis exhibuit, vt amorem ac desiderium ipsius in nostris animis ex-  
citaret. Scit enim, & amari inter homines, quæ venustate excel-  
lunt, & desiderari, qua ingenti pretio constant. Hinc quidquid  
venustum, quidquid pretiosum est, in vna Iesu Christi imagine  
admiranda arte coniunxit, vt in ipso amando atque desiderando,  
quidquid virium nobis est, profunderemus.

Agite igitur, qui vana ac turpia amat, agite, qui immorta-  
lia vestra desideria ad res abiectissimas, & omni fumo inaniores,  
proiicitis, resipiscite tandem, & mentem induite saniorem.  
Ambit amorem vestrum Sponsus sine exemplo formosus, de quo  
Ioannes, *Vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam, ut viageniti a Pa-  
tre filii*, Ioan. I, 14. O vos felices, si oblatum amicitiae foedus cum  
ipso ineatis! Omiseros, & omni suppliciorum genere dignos, si  
ipsum repudietis, si que magis vobis placeat princeps ille tenebra-  
rum, monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen adem-  
tum; quam princeps lucis, filius amoris. Quid est, quod detre-  
ctetis subesse capiti illi aureo, cuius consilia atque cogitationes de-  
vestra salute tanto robore valent, vt, qui illas eludere possit, inter  
mortales nemo reperiatur. Cur fugitis quæso *adspicuum oculo-*  
*rum*

rum ipsius, quibus nihil blandius, purius nihil est, qui velut in lacte  
natant, & constanti obtutu in Suos figuntur? Cur declinatis eius  
amplexus, ad quos gratus, quem eius genæ diffundunt, solatiorum  
odor vel inuitos trahit? Quid est, quod in labris eius fragrantissi-  
mis, quid est, quod in manibus potentissimis, quid est, quod in pedibus fir-  
missimis, quod denique in toto eius adspectu, iure desideretis?  
Nonne, quæso, præstat, ore eius absolui, quam condemnari?  
Nonne manibus eius protegi, seruari, ornari, quam extingui; non-  
ne pedibus eius portari, quam conculcari præstat? Agite igitur  
sponte vos illis atque vltro hoc ipso eius natali die aduolute, ac,  
prostrati in terram, cum lacrimis admissorum delictorum veniam  
ipsum rogare. Sic vos erget deiectos; sic gratiam, qua eius labia  
disfluunt, in vos effundet; sic, post degustatam iræ cælestis ama-  
ritiem, eius solatia sentietis, omni melle suauiora.

At vos enim vero, O NOSTRI, qui illas humani generis  
delicias, qui Candidum illum ac Rubicundum, millenis insignio-  
rem amicis, sincere amatis; translite festos hosce dies in iucun-  
dissimo eius consortio. Deponite interim reliquas in eius præsepi  
curas, omnemque cogitationum vestrarum impetum ad diuinam  
Immanuelis præstantiam sancte meditandam conuertite; quo no-  
uis incrementis, quem ei debetis, amor adaugeatur. Defigite in  
eius pulchritudine fidei vestrae oculos. Haurite ex capite illo,  
quois auro præstantiore, nouum sanctarum virium adparatum.  
Cum regiis eius cogitationibus, quarum velut capillorum infinita  
datur multitudo, vestras iungite cogitationes. Respicite illum,  
vt ille vos, oculis columbinis, placidis, castis, qui sine vago motu ab  
eius nutibus pendeant. Decerpite flores e sanctis genarum eius  
areolis; fugite ex labris eius myrrham, quam stillant, doctrinam,  
quam spargunt, spiritum, quem copiose effundunt. Admittite  
diuinas manuas eius operationes. Adfectibus, qui in visceribus  
eius astuant, sanctissimis vestros adfectus attemperate. Super-  
struite marmoreis crurum eius columnis integrum vestrae san-  
ctitatis molem, Gustate gutturus eius delicias. In eo deni-  
que solo vestrorum figite desideriorum  
metam. Valete.

Halæ d. XXIV. Dec. MDCCXXIX.

• 3 ) 0 ( 6 •





JJ 4467

ULB Halle  
005 375 053

3



bna

VDA8

BW



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



PROGRAMMA SACRVM  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
EX-PRORECTOR  
**FRIDERICVS HOF  
MANNVS,**  
*COMES PALATINVS CAESAREVS, CONSILIARIVS REG  
ET PROFESSOR ORDINIS MEDICORVM  
SENIOR,*  
VNA CVM  
**CANCELLARIO ET PROFESSORIE**  
*RELIQVIS,*  
**CIVES ACADEMICOS**  
*AD*  
**FESTVM NATALITIVM**  
*Anni M DCC XXIX.*  
PIO GAVDIO CELEBRANDVM  
PERAMANTER COHORTATVR,  
AC SANCTAE IPSORVM MEDITATIONI  
**IMMANVELIS PRÆSTA  
TIAM**  
*ex CANT. V, 10 - 16.*  
CONSIDERANDAM COMMENDAT. M. Jo. Jacob. &  
HALAE MAGDEBURGICAE,  
STANNO LEHMANNIANAE VIDVAE.

